

miliari disputantem cum Critobulo homine locupletissimo induxisset, quod vidit, Socratem in rei familiaris augendæ studio non exercitatum, de officio diligentis patrisfamilias parum decore disputaturum, quæ ab Ischomacho notæ industriæ & frugalitatis homine de uxoris, patrisfamilias, villici, & servorum muneribus, de agrique colendi ratione audisset, narrantem introduxit. Quin animadvertimus etiam Platonem providisse sedulo, ne cuiquam nisi optimis doctrinis imbuto, atque in illis, quas profiteretur, literis, bene versato sermocinandi facultatem deferret.

## §. IV.

In officiis, quæ unicuique in colloquio assignantur, distribuendis notandum pariter, cum aliis confirmandi, & quasi docendi partes dantur, aliis refutandi, aliis demum tantum audiendi, ea quæ cujusque ætati, auctoritati & opinioni conveniunt, cum singulis personis accurate conferenda esse. Observavit hoc *πρέπον*, quod ad ætatem & auctoritatem attinet, Cicero, qui in tribus *de Oratore* sermonibus, primo sermone introducit non tam loquentem, quam auscultantem Scævola & senem, & podagricum, propterea quod indecorum visum est, ut ipsemet Cicero fatetur ad Titum Pomponium Atticum *Lib. IV. Ep. 15.* propter ætatem & morbum per triduum eum adesse in ejusmodi disputatione. Itaque secundo & tertio sermoni non adfuit. Primo autem interfuit utiliter propter dignitatem personæ, ad excitandum Sulpicium & Cottam tum adole-

*In officiis colloquendum distribuendis, ea que cujusque ætati, auctoritati & opinioni conveniunt, cum singulis personis conferenda sunt.*